



*Ornatiss. atq. r.
viro And. tra
no so b. vno
chariss. vno
no no vno can
Rade m.*

DISPVTA TIO
DE E M P T I O -
NE ET VENDITIONE
CONTRAHENDA, EIVS
IAM CONTRACTAE IVRE ET
tandem rescissione, in theses cer-
tas cojecta.

Q V A S
AVSPICE REDEMPTORE
CHRISTO
SVB PRAESIDIO
NOBILISSIMI ET CLARISSIMI
Iurisconsulti Domini

NICOLAI REVSNERI
ANTECESSORIS, ET IVRIDICAE
FACVLTATIS IN ACADEMIA IE-
NENSI, SENIORIS celeberrimi Illu-
striss. Ducum Saxoniae Consiliarij
amplissimi

In Acroasi Iuriscons. XVII. Cal. April. publi-
cè defendendas provirili suscipiet

CHRISTOPHORVS RICHTERVS
ALTENBURGENSIS.

I E N A E

Typis TOBIAE STEINMANNE
Anno clb lb XCIV.

[Faint handwritten notes in a later hand, possibly a library stamp or marginalia.]

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

[Partial view of text from the adjacent page on the right.]



ILLVSTRISSIMO PRIN-
CIPIA C DOMINO, DOMINO IOHAN-
NI, DVCI SAXONIAE, COMITI PRO-
vinciali Thuringiae, Marchioni Misniae &c,
Domino suo Clementissimo.



Vid conferat, quantum proffit &

conducatur, diligens artis cuiusq; usus & exercitatio
Illustriss. Princeps, Domine clementissime, res ipsa &
communis experientia convincit, idq; multorum sapi-
entium hominum dicta testantur. Periander certe unus
est sapientibus Graeciae, exercitationem omnia posse, di-
xit. M. Sullius vero in officijs suis, nec Medicos, nec Imperatores, nec
Oratores, quantum vis artis praecipua perceperint, quidquam magna
inde dignum, sine usu, & exercitatione consequi posse, affirmat.
Quod ego dum mecum pondero, sapienter id & verè dictum esse,
invenio, & fateri cogor, ita ut maximè verear, me ignaviae turpis, ac
culpandae desidiae notam vix effugere posse, si ulterius specimen quod-
dam studiorum meorum edere differam. Cum enim antea per aliquot
annos in celebri hac Academia omnis pietatis & honestatis officina, lit-
teris ac iuri operam dederim, & postea temporis quidem iniuria & tri-
stissimo Schoiae huius multorum tum Clariss. virorum obitum lugen-
tis, fato, ἀτύχῳ ac sine ullo profectus tyronicinio publicè edito,
discesserim; Superior certè esset negligentia, & ipsa Accessari Luna illo-
tis, quod dici solet manibus, ad studia mea continuanda, ab alijs Aca-
demijs jam redire, & ocio quasi torpescere. Eapropter auspice Deo,
& consilio Clariss. Cui D. Nicolai Reusneri, Praeceptoris mei colen-
di, utilissimum disputandi exercitium in me recepti, & grave hoc onus,
humeris meis imponi passus sum, ut re ipsa ostenderem, me esse ex nu-
mero eorum, qui cum optimè norint non inertia, sed labore & sudore,
virtutem venalem esse, neq; tamen propter ingenij tenuitatem in pri-
mis esse possunt, in secundis certè numerari cupiant, & expetant. Ac ne
inutilia discendo, & non necessaria tractando, utilia nesciamus, & ne-
cessaria ignoremus, cum ars, praesertim iuris nostri per se satis longa
ac vita brevis, quae vix necessarijs etiam investigandis sufficiat; cogitanti
mihi de utili & cotidiana materia venit in mentem, hanc de contra-
henda, contracta, & rescindenda Emptione disputationem proponeret
ut & ego utilia discam, & reliqui studiosi plurimum inde fructus perci-
pian. Hanc autem disputationem meam, propter morem Germaniae
nostrae, qui in omnibus ferè Academijs invaluit, absq; patrono in lu-
cem prodire nec volui nec debui. Patronum quaeritans, tenuissimum fo-
re patrocinium arbitratus sum, si eam auspicijs Celsit. Tux in pu-
blicum emittam, utpote cuius Clementissimae & unicae clientelae me-
aeq; omnia natura & patria ipsa humilimè subiecit. Locus deinde
A 3 ipse

ipse, qui me disputantem capiet, & parietes, qui me eruditas doctissimo
studiosorum obiectiones, repellere conantem, audient, omnes, omnium
exterorum etiam hominum vigilias & labores Academicos Tuæ Cel-
sit. mancupant, ut ego iniurius meritis viderer, qui Tuæ Celstit. subiectus,
alienum Mecænatem eligerem. Latissimum deniq; hoc ipsum tempus
suo quasi iure à me exigit, ut una cum civibus Altenburgensibus, læti-
cia gestientibus, popularibus meis gaudio triumphantibus (ob immen-
sum singularis misericordix bonum, quod nimirum I E H O V A noster
unicus, tam turbulento afflictissimæ Ecclesiæ statu Tuam Celstit. herede
optato Illustrissimam Saxonix Rutam, desiderato surculo, subditos om-
nes Illustriss. principe donavit) absens ego has theses, in signum læti-
ciæ atq; exultationis singularis Tuæ Celstitud. offeram & consecrem,
ijsq; velut Celstitud. tuæ humilime de filiolo recens nato gratuler. Hos
igitur labores meos Tuæ Celstit. do, dedico; submissione debita rogans,
ut hoc exiguum, & Tua Celstit. non satis dignum, subiectissimi tamen cli-
entis munusculum, eodem quo potentissimus olim Monarcha Augu-
stus, Græculi Poetæ *σμεωνίδης μέδων*, Celstit. Tua, Clementi ac hilari vultu
accipiat, & intueatur. DEVS OPT. MAX. qui Tuæ Celstit. filiolum
dilectum dare nobis subditis, Illustriss. Dominum largiri, nec non
Rutam (Saxonica domus ornamentum, & remedium contra virulen-
tissimum omnis hæresis, *κακοδοξίας* corruptelæ & impietatis venenum
præsentissimum) rigidâ plurimarum calamitatum hyeme, serè langues-
centem, & tantum nõ arescētem mitissimo jam redeunte verè repullula-
scere, vegetam florere, ac surculo novo angescere voluit; eandem ipsam
Rutam veræ Ecclesiæ, & totius Imperij Romani columnam conspicu-
am, indies magis ac magis sobolescere & crescere faciat. Illustrissimo
etiam infantulo, Principi nostro clementissimo, vitam longævam, per-
petuam & constantem valetudinem, pietatem patriam & aviram, atq;
huic familiæ propriam, heroicam sapientiam & fortitudinem vere Sax-
onicam, concedat ac largiatur, Tuamq; celstit. una cum coniuge Illu-
strissima in salutem Patriæ nostræ divina atq; paterna protectione sua
custodiat ac tueatur.

Dabantur Ienæ, in Schola Tuæ Celstit. celeberrima I X. Cal.
Mart. ipso primogeniti Tuæ Celstit. filioli Domini nostri Clementiss.
natali. Quo eodem die ante X L. annos Illustrissima Principissa Domi-
na Sibylla, omnis pietatis & virtutum humanarum exemplum, Tuæ
Celstit. avia, Vinarix in Christo piè obdormivit. Anno æræ
Christianæ M. D. XCIV.

*Tuæ Celstitudinis
Subiectissimus*

Christophorus Richter Al-
tenburgensis LL. Studiosus.



T H E S E S
D E C O N T R A H E N D A
E M P T I O N E E T C.

T H E S I S I.

Origo & causa emptio-
nis.



V T I L I S S I M I E T F R E-
quentissimi huius contractus emptio-
nis & venditionis, ut & aliorum ferè omnium
origo, est ex iure gentium a, atq; à per-
mutationibus cœpit. Olim enim usu num-
mi nondum invento, unus quisq; (ut ait
Paulus) secundum necessitatem tempo-
rum, utilibus inutilia permutabat: quando plerunque e-
venit, ut quod alteri superest, alteri desit b.

a l. 5. ex hoc iure D. de iustic. & iur. Connan. lib. 1. cap. 5. nu 9.
b l. 1. D. de contrah. empt.

II

Sed quia non semper, nec facile concurrebat, ut cum
tu haberes, quod ego desiderarem, invicem haberem,
quod tu accipere velles, electa pecunia est, cuius publica
ac perpetua æstimatio, difficultatibus permutationum, æ-
qualitate quantitatis subveniret, atq; ita nummis inven-
tis, emptio esse cœpit.

d. l. 1. D. de contrah. empt.

III.

Quare & cum permutatione magnam emptio cogna-
tionem habet: Vtraq; est, ex iure gentium, bonæ fidei a:
in utraq; & evictio præstatat b; & ubiq; enormiter læso
succurri

Similia &
dissimilia.



succurri solet c; atq; adeo, quasi in proverbium abiit
permutatione rerum emptionem contrahi d.

a d.l. 1. §. actionum l. de act. b l. 1 C. de rer. permut. §. l. 1.
D. eod. c l. 1. §. si quis §. seq. D. si quid in fraud. pat. Dd. ad l. 2.
C. de rescind. vend. d §. nem pretium l. h. t.

IV.

Hinc quoq; est, quod negotium illud sive contractus
innominatus cum Do ut des, (quem perperam Glosso-
graphi à permutatione distinguunt) emptioni à Paulo
comparetur.

l. 1. D. de rei permut.

V.

Differunt tamen inter se duo hæc negocia. Primum
emptio suum proprium & peculiare nomen habet, Per-
mutatio non item. 2. In emptione aliud est merx, ali-
ud pretium: in permutatione res à pretio non distingui-
tur a. 3. Emptio nudo fit consensu: permutatio non nisi
re & facto ipso b. 4. In permutatione res utrimque sunt
accipientis: in venditione pretium quidem semper vendi-
toris fit: res emptoris non semper c. 5. Ex permutatione
actio in factum civilis, ex emptione & vend. actio nomen
habens empti & venditi nascitur d.

a l. 1. in p. D. de rei permut. b d. l. 1. §. item emptio §. t. t.
l. de oblig. que cons. l. 2. D. de contr. empt. c d. l. 1. §. in permutatio-
ne l. 1. ex empto. de act. empt. d d. l. 1. vers. unde fit. §. t. D. & C. de
act. empti.

VI.

Quæri hic solet ab Interpretibus cum pro re, &
res & pecunia datur, utrum emptionis an permutationis
contractus celebratus sit? Nobis Connani & distinctio &
decisio, juri & æquitati consentanea videtur.

De hac questione & Schneid. ad §. nem pretium l. h. t. n. 6.

VII.

Cognata quoq; est emptioni locatio. Vtraque enim
certum nomen habet, & nudo consensu perficitur. Ut si-
ne pretio nulla emptio, ita sine mercede nulla erit locatio.
6. Ut locatio aut statim certa mercede, aut ea demum ar-
bitrio

bitrio alterius definienda, ita & emptio, vel certo pretio vel eo certi alicuius aestimationi permisso celebrari solet b. Ut in emptione pretium, ita & in locatione, ut plurimum merces in pecunia numerata consistit c.

a l. 23 si convenerit D. comm. divid. l. 5 2. si vir. D. de donat. inter vir. & inf. th. 14. b §. sed & certum l. de empt. l. ult. C. de contr. empt. l. 25 si merces ver. sin autem D. locati. qui vers. à Tribuniano ex d. l. ult. verbis Gaj interiectus videtur. c l. si olei C. de locat. Loriottus de pactis axiom. 129.

VIII.

Adeo autem familiaritatem inter se habent Emptio & locatio, ut isdem ferè iuris regulis consistant: & veteres emptionis ac venditionis verbo, in locationib. & conductionibus sæpè usi sint a. In quibusdam etiam quæri so- leat, utrum emptio, an locatio celebrata sit b.

a Auctore Festo in v. venditiones & in v. redemptores & ar- gumento l. 19. cum leg. seq. D. de act. empt. Cuiac. 8. obs. 15. b §. adeo l. de locat. l. 2. D. eod.

IX.

In multis tamen differunt. Nam 1. venditor empto- ri rem habere a. Locator conductori re frui licere præ- stat b. 2. In emptione periculum rei est emptoris c, in lo- catione manet locatoris d, 3. Locatio vsum rei plerunq; in breve temp⁹: Emptio etiã dominium nonnunquam, idq; in perpetuum transfert. Deniq; emuntur res tantum, ea- rumq; rerum spes, interdum locantur & res & facta e.

a l. 11. exempto in p. & §. 11. deniq; de act. empti. b l. 9. si quis l. 23. §. 1. ver. sed si uredo D. locati. c 1. t. D. & C. de peric. d d. l. 15. §. 1. e l. 8. nec emptio D. h. s. l. 22. §. 1. l. 60. cum in plures §. 1. & 2. D. locati.

X.

Præmissa hac (ut cum Cicerone loquar) eiusdem & al- terius, consideratione facile jam Emptionis & venditionis colligi potest definitio. Est enim contractus, quo convenit de re, alteri certo pretio tradenda, ita ut illi eam habere liceat. Definitio

l. de oblig. qua ex cons. l. 1. D. de ver. permul.

Frequens



XI.

Frequens hic de traditione est quæstio, quæ tamen multis doctissimis Viris Domitiana videtur, an scilicet ea venditor dominium in Emptorem transferat? Dupondius etenim notum, traditione venditorem quidem dominum, Emptorem quoque dominum facere, si pretium est numeratum, aut saltem fides de eo habita: non dominum, nec dominium in accipientem transferre.

d.l. 1. de p. de act. empti.

XII.

Conventionem igitur, & nudo consensu fit Emptio nec ad substantiam eius traditio est necessaria *a*, sed ad perfectionem & effectum duntaxat: qui effectus non in dominio, sed in vacua rei possessione, id est, ut eam habere liceat, positus est *b*.

a Intro l. h. t. l. 2. D. eod. b s. thes. 9.

XIII.

Ex hac vera Emptionis definitione patet, non rectè *D d. tria*, ut loquuntur, huius contractus requisita commentos esse, consensum nimirum, mercedem & pretium *a*. Consensum siquidem, eumque mutuum, omnes *b*: nudum, qui consensu fiunt contractus, exigunt. Res etiam, quæ in Emptione merx dicitur, omnium contractuum excepto Mandato, est communis: utpote cuius gratia solius, contractus introducti sunt *c*.

a Ad l. 1. de empt. Accurs. ad l. 72. pacta v. ex pretio. D. h. t.

b l. 55. in omnibus D. de O. & A. c l. 1. D. h. t.

XIV.

Vnica autem nota, & velut anima Emptionis est pretium *a*: neque enim aut Emptio sine pretio, aut pretium sine emptione esse potest *b*.

a d. l. 72. pacta D. h. t. b s. pretium autem l. h. t. th. 7.

XV.

Divisiones.

Divisiones Emptionum hinc inde plurimæ inveniuntur. Olim Emptio & Vend. alia erat juris gentium, quæ traditione *a*, alia civilis, quæ mancipatione fiebat *b*: & hac dominium transferebatur: quæ tamen exolevit.

Ex Lege



591.

a Ex Lege XII. & §. vendita l. de rer. divis. b Vlp. lib. reg. tit. 19. §. 2. mancipatio. & l. 20. c §. 1. l. de testam. ord.

XVI.

Iure nostro venditio alia est vera, alia ficta, sive imaginaria a: & hæc vel sine pretio, seu ut veteres dicunt, uno nummo b, vel sub imagine alterius, sive per suppositam personam, & sæpè fraudis causa fieri solet c.

a l. 55. nuda D. de contrah. empt. l. 3. C. eod. l. 54. contractus D. de O. & A. l. 16. de R. l. b l. 66. si usufructus D. de iure dot. c l. 10. & qui C. de distract. pign.

XVII.

Imaginaria tamen venditio non est, pretio, licet viliori accedente. Totiens enim dicendum venditionem esse fictam & non valere, quoties universa venditio donationis causa facta est: quotiens vero viliori pretio res distrahitur etiam donationis causa, dubium non est, quin venditio valeat.

d. l. 16. de Reg. iur. l. 38. si quis D. h. t.

XVIII.

Emptio deinde alia dicitur in scriptis, alia sine scriptis fieri a. 3. Emptionum quædam est rerum, quæ pondere, numero aut mensura constant, quædam reliquarum b. 4. Quædam pura, quæ purè; quædam condicionalis, quæ sub condicione contrahi solet, dicitur. 5. Nonnunquam res certæ & singulæ nonnunquam eæ in aversione, quam vocant, & in universo emuntur d.

a Inst. l. b. t. & l. 16. contractus C. de fid. instrum. b l. 35. quod sæpè §. 5. in his. d. h. t. l. 2. D. de peric. & com. c §. pen. l. b. t. l. 37. si quis D. eod. d l. 62. qui officij D. d. t. Greci dicunt ἐν ὀμᾶδῃ.

XIX.

In scriptis quænam fiat Emptio, quarunt D d. hodie? Nos tunc eam in scriptis fieri, putamus, cum initio ita inter partes expressè, aut saltem tacitè convenerit, ne aliter valeat contractus, nisi in scriptum redigatur.

Argumento §. illud l. b. t. & d. l. 16. contractus §. illud Schneid. de iur. h. num. 4.

B

Ad

De precio.

XX.

Ad contrahendam jam Emptionem (ut & modò dictum) in primis necessarium est pretium, sic dictum, quasi peritium, Varrone auctore, ut quod periti rerum æstimatores, optimè facere possint.

Lib. 4. de lingua latina.

XXI.

Pretium quoq; in pecunia numerata consistere debet: quamvis in solutum dari, postea etiam res alia possit.

d. §. 1. pretium l. h. t. l. 1. & 2. D. cod. l. 9. pretij C. de res. ind. vend.

XXII.

Quæritur hic, an semper pecunia interveniente, pretium constituatur. Et distinguendum est: aut n. pecunia intervenit, ut res: v. g. si pecuniam tibi dedi, ut mihi Stichum dares, non erit hoc casu Emptio, sed permutatio; aut intervenit ut quantitas, & tunc omninò pretium constituit, & Emptionem celebraram arguit.

l. ult. D. de conduct. causa dati & l. 7. D. de prescrip. verb.

XXIII.

Certum insuper pretium esse debet a. Certum autem est, cuius quantitas initio statim expressa est, vel demonstratione facta, tacitè intelligitur b. Alias si absq; certo pretio res venijt, Emptio nulla erit c. Planè ex accidenti nonnunquam pretium pacto augeri potest d.

a § sed & l. h. t. a l. 6. certum D. de reb. cred. l. 7. §. ult. D. h. t. c l. 37. si quis D. h. t. d. d l. 7. §. ult.

XXIV.

Vnde constat pretium alterutrius contrahentium voluntate, & arbitrio definiendum, v. g. quanti velis, quanti æquum putaveris, si volueris &c. habebis emptum, ne hodie quidem committi posse.

l. 35. quod sæpè §. 1. D. h. t. l. 7. vers. nam si. eod. l. in vend. C. h. t.

XXV.

Quærebatur olim, an pretium in alterius Tertij arbitrium conferri posset? Sed hanc quæstionem Imp. sua decisione ita sustulit, ut hodie Tertio isto pretium definiente, venditio valeat, eo id non definiente, non valeat.

d. §. sed & certum l. & l. ult. c. h. t.

Preti-

XXVI.

Pretium tandem non modò certum & numeratum esse, sed etiam accipientis fieri debet, licet venditor rem Emptoris facere non teneatur *a*. Inde quarunt D d. rationem differentia, & alij aliam adferunt *b*, nos hanc veram esse didicimus, quod rei sine dominio sit usus, pecunia ferè nullus, aut saltem perexiguus *c*.

a l. 1. D. de rer. permut. *b* Bart. & Dd. ad l. 1. ex empto de act. emp. Roland. in arte sua notariatus. D. Giphanius de action. empr. lib. 1. 49.

XXVII.

Solet interdum & arra accedere Emptioni, non tamen ea ad substantiam Emptionis pertinet, sed quasi vinculum est & pignus quoddam, ac sæpè non tam contracta, quam contrahenda eius argumentum esse videtur.

De arra.

l. 1. h. t. l. 16. contract. & illud C. de fid. inst. l. 35. quod sæpè D. h. t.

XXVIII.

Arris ita datis, si ab imperfecta Emptione, alter contrahentium discedere velit, Emptor arras perdet, venditor eas duplicatas aut (ut Icti nostri loquuntur) alterum tantum *a* reddet *b*.

l. 3. si ita D. de lib. & post. l. 18. libertis §. postumii. D. de aliment. legat. b vers. donec l. h. t. & d. l. 16. §. illud.

XXIX.

Quæritur hic, an Emptori amissis arris, aut venditori alterius tanti refusione, à perfecta etiam Emptione recedere liceat? Et sunt qui ajunt impunè licere, nec recedentem ad ullum interesse amplius teneri. Sed videamus, ne contrarium verius sit.

Zasius lib. 2. singul. respons. cap. 24. Gomez. de contract. cap. 2. num. 18.

XXX.

In pretio igitur substantiam Emptionis positam esse constat, de quo simul atq; convenit, perfecta est Emptio. Et licet olim antiquissimo iure XII. cautum erat, ut venditio non aliter fieret, nisi re ipsa, hoc est, rei vendita traditione & pretij numeratione *a*, hodie tamen (ut eleganter

Emptio quando perficitur.

B 2 Vlpia



Vlpianus ait) non numeratio, sed conventio pretij perficit
Emptionem b.

a. §. vendita de rei divis. ubi eius legis sententia exponitur, ver-
ba n. desiderantur: & hanc eandem legem apud Athenienses quoq; fuisse
testatur Plato lib. 1. de ll. b. l. 2. D. h. t.

XX XI.

Excipitur primò & quidem novissimo iure, quæ in
scriptis fit emptio, quippe quæ non nudo consensu, sed in-
strumento demum confecto & absoluto perficitur.

Init. l. h. t. & vers. illud d. l. 16. §. illud c. de fide instrum.

XX XII.

Deinde excipitur Emptio earum rerum, quæ ponde-
re, numero, & mensura constant. Nam si argentum ita ve-
nerit, ut in singulas libras; grex, ut in singula corpora; vi-
num, ut in singulas amphoras, certum pretium sit constitu-
tum, tunc demum Emptio perficitur, cum ea adensa, ad-
numerata, vel adensa fuerint. Sin verò hæc in aversione
veneant, servantur ea omnia, quæ in ceteris rebus observa-
ri s. diximus thesi 30.

l. 35. quod sepè §. 5. in his ver. quod si vinum. ver. nam si omne
& vers. ergo & si grex D. h. t.

XX XII.

Planè emptio condicionalis, non statim consensu
contrahentium, sed existente demum condicione perfici
videtur: Quæ condicio si defecerit, emptio nulla erit, nec
agi poterit, ut conditio, etiam quæ in nostra est potestate,
impleatur.

l. 7. hac venditio l. 37 si quis l. 41. §. si vero D. cod.

XX XIV.

Quod si pendente condicione, emptor vel venditor
decesserit, & postea condicio existat, constat heredes esse
obligatos, quasi (ut egregiè Paulus ait,) jam contracta em-
ptione in præteritum.

l. 8. necessario §. quod si D. de peric. & com.

XX XV.

Ex eo autem, quod diximus emptionem sola pretij
conven-

conventionem, seu nudo consensu perfici, consequitur emptionem etiam inter absentes, per litteras vel per nuncium rectè fieri posse.

l. 1. in fin. D. b. t. l. ult. C. si quis alteri.

XXXVI.

Adhuc præter pretium, quæ (ut dictum) unica emptionis nota, tamen ad contrahendam venditionem alia quæque sunt necessaria, omnium tamen contractuum communia ferè, ut Personæ, Res, & consensus: de quibus deinceps videamus.

Transitio

XXXVII.

Emerere itaq; & vendere possunt omnes, quibus id vel natura, vel jure nominatim non prohibitum invenitur.

De personis
prohibitis.

XXXVIII.

Natura, ut contrahere, ita & emere aut vendere prohibentur, furiosus *a*, & huic similis, qui in negocijs peragendis furiosum exitum facere dicitur, prodigus *b* & pupillus, aut sine tutore, aut falso tutore auctore *c*. Illi siquidem nullum, hic aliquem, sed infirmum consensum habet *d*.

a l. 2. C. h. t. b l. 26. si sciens D. eod l. 13. hui qui D. de tutor. & curat. c l. 27. qui à quolibet D. b. t. d l. 5. in negocijs & l. 40. furiosus D. de R. l.

XXXIX.

Quæri hoc in loco potest, an mutus, aut surdus emere ac vendere queat? Et utrumq; posse, credimus.

XL.

Iure civili, ut nullus contractus, ita nec ulla venditio etiam rei peculiaris, non castrensis aut quasi inter patrem & filiumfam. subsistere potest.

l. 2. D. b. t. videatur & Bart. ad l. frater D. de condict. indebiti.

XLI.

Sunt etiam, quibus non quidem omnium, certarum tamen rerum commercium & emptio interdicitur; ut Iudæo & pagano, mancipij Christiani *a*: ut Barbaris, vini, olei, aut liquaminis, armorum & auri *b*: ut privatis, purpura, & serici *c*: ut nobilioribus, & ditioribus, mercimorum omnium *d*.

B 3

at. C.

a l. 1. C. ne Christi in. mancip. b l. 1. & 2. C. que res exportar.
d. 2. C. de commerc. & mercator. c l. 1. & 2. C. que res vendi non. d
l. 3. C. de commercijs.

XLII.

Tutor rem sui pupilli, Curator rem minoris, procurator rem domini, aut eius cuius negocia gerit, emere non potest: possessionem tamen rei antea sibi à Patre pupilli venditæ tutor à pupillo rectè accipit.

l. 34. si in emptione §. ult. l. 78. fistulas §. 1. D. d. r.

XLIII.

Quæritur, an tutor rem pupilli sui à contutore palam & bona fide emere possit? Et verius est posse.

XLIV.

Palatini quoq; sive proceres Palatij, res privatorum emere non possunt a. Idem dicendum & de eo, qui officij causa in provincia agit, vel militat, hic n. prædia nulla in eadem comparare potest, secus si fecerit, non tantum rem emptam amittet, sed etiam in quadruplum multabitur b. Planè si paterna huius bona à fisco distrahantur ea impunè emere potest c.

a l. ult. C. de rescind. vend. b l. 46. non licet l. 62. qui officij D. h. r. c d. l. 62. ver. præterquam.

XLV.

De rebus.

Adhuc de personis, iam de rebus videamus. Et certum est, omnes res, tam corporales, quam incorporales, ut iura & actiones: tam singulas, quam universitatis, ut hereditatem a: tam præsentis, quam futuras, ut fructus: Imò & spem sapius rei, ut aleam b, emi vendique posse. Breviter omnium rerum, quas quis habere vel possidere, vel persequi potest, venditio rectè fit c.

a l. 80. cum manu D. h. r. & t. t. D. & C. de hered. v. act. b l. 1. nec emptio. §. 1. c l. 34. §. omnium D. h. r.

XLVI.

Quæritur de re futura, an emptio eius sit pura, ut est spei, sive aleæ, ita ut & hic nullis etiam fructibus natis, tamen emptio teneat, sicuti tenet ista, etiam cum nulla res sequitur a? Et verius est emptionem fructuum esse condi-
ciona-

cionalem b, ac proinde nullis fructibus natis emptio
quoq; evanescet c.

a Gomez. de contrah empt. nu. 7. Mudæus eod. tit. cap. 3. b
l. 8. in pr. in v. iam tunc. c Gail. 2. obs. 23.

XLVII.

Quæritur hic de feudo, an & id à seniori emere pos-
sit Vasallus? Si originem feudi, & eius naturam primam
consideres, dicendum feudum non pretij, sed militaris o-
peræ causa dari. Moribus tamen & id emi vendiq; posse
obtinuit.

c. 1. de investitura in mar. & c. 1. de benefic. fratris Zasius de
feudis parte 12.

XLVIII.

Ingens etiam nuper orta est quæstio, valde & à no-
stris Interpp, & à Theologis celebrata & agitata, an censu-
um & redituum annuorum emptio licita sit, & valeat?
Sunt qui aiunt, eam valere, quorum opinioni, ut veriori &
nos quoq; adstipulamur.

Hotom. lib. 2. de usur. Cail. lib. 2. obs. 7. & 8. Philip. Melan. in Eth.

XLIX.

Natura tamen vel gentium jure extra commercium
sunt, liber homo, res sacra, religiosa, usu publica, quarum
idcirco rerum emptio nulla esse potest. Nec eó magis in-
pendenti erit obligatio, quod ex libero homine, servus; ex
re sacra vel publica, profana, aut privata fieri possit.

De naturæ
vendi præ-
hibitis.

l. 6. sed Celsus l. 34. §. omnium l. 51. littora D. h. 1. §. 2. ver. nec
in pendentibus l. de inutil. stip. l. 83. inter §. sacram ver. homo lib. de V. O.

L.

Planè liber homo si pretij participandi causa se ven-
dendi passus sit, ea venditio valet, & venditus, servus ef-
ficatur a. Vno etiam nimix egestatis casu, victus causa pa-
renti concessum est, filios suos distrahere & vendere. Eos
tamen vel parens vel ipse filius vel etiam quisvis alius,
quandoq; libuerit, redimere potest: Immo venditis liberis
concessum est refuso pretio b se ipsos in libertatem ad-
ferere.

a §. ult. 1. de iure pers. b l. 2. C. de patribus qui filios.

Sic &



L I.

Sic & res sacra mobilis in redemptionem captivorum, vel famis tempore, vel æris alieni necessitate, recte vendi potest.

§. sacræ l. de rer. div. l. sancimus ver. exceptis C. de sacros. Eccles. Nov. 120.

L II.

Sanè liberi hominis, loci sacri, religiosi, & usu publici, qui haberi non potest, rei furtivæ, &c. emptio intelligitur & valet, si ab ignorante emitur *a*. Licet enim emptio non teneat, quo ad rem tradendam: actione tamen ex empto, consequetur emptor, eius quod interest, ne decipiarur *b*.

a l. 4. l. 34. §. item si l. 70. liberi D. h. t. b §. ult. l. b. t. C. l. 52. §. qui nesciens D. d. t.

L III.

Quæri hic solet, an emptori scienti rem alienam esse, re postea evicta, detur saltem actio ex empto ad precium recuperandum? Et æquum esse putamus eam ad pretium quidem dari, ob evictionem tamen actionem eidem denegari. *Gail. lib. 2. obs. 139.*

L IV.

Ad res deniq; natura vendi prohibitas pertinere videntur, & quæ in rerum natura vel non possunt, vel ante venditionem desierunt esse, Hoc tamen ex sententia Neratij hanc distinctionem recipit, ut utroq; sciente rem totam perijisse v. g. domum exustam esse, nulla sit emptio: Sin autem solus emptor id ignorabat, & pars tantum domus exusta fuerit, venditio constitit, & venditor tenetur ad id, quod emptoris interest, domum exustam non esse.

l. 15. etsi D. h. t. l. 57. domum D. d. t.

L V.

Huc referri potest & illa quæstio, Si emptor quidem sciebat, venditor autem ignorabat, rem totam, aut partem eius exustam, an eo casu emptio teneat? Et respondet ipse Paulus venditionem stare, & omne pretium venditori ab emptore, si non depensum est, solvi, vel solutum non repeti

d. l. domum ver. Et hic enim.

Nunc

LVI.

Nunc jure civili, sive (ut Paulus ait) moribus civitatis sub gravi pœna distrahi prohibentur, frumenta publici canonis, frumentum exercitui Imp. missum: ut qui hoc mercati sint, honestiores proscribantur, inferiores ac viles capite plectantur.

l. 3. & l. 4. C. quæ res vendi non.

LVII.

Domus quoque & villæ, negociandi & destruendi causa vendi non possant, pœna scilicet in emptorem scto constituta. *l. 52. Senatus D. h. r.*

LVIII.

Sic nec Funuchi Romani a, nec servus licet criminofus ut cum bestis pugnet b, nec venena mala, id est quæ nulla alterius materiæ adiectione, usui nobis esse solent emi aut vendi possunt c.

a l. 1. & 2. C. de Funuch, b l. 42. domini D. de contrah. emp, c l. 34. §. veneni D. eod.

LIX.

Litigiosæ quoq; res vendi prohibentur: ne liceat (ait Gaius) hac ratione adversarii condicionem facere. *l. 2. & l. 1. C. de litig. l. ult. D. eod.*

LX.

Rem deniq; suam purè frustra, sub condicione si aliena fiat, rectè quis emit a. Possessionem tamen dominus proprietatem fructuarius, &c. rei partem, cum tota re locius emere potest b

a l. 16. suæ rei l. 61. existimo D. de contrah. empt. b l. 34. §. 3. ver. rei l. 13. D. de in diem addict, arg. l. 62. quadam de acquir. ver. dom.

LXI.

Iure quoq; Canonico rectè prohibentur vendi reliquia sanctorum a. Contra tamen hanc Innocentii III, prohibitionem, hodieq; istæ sub donationis titulo carissime venduntur: Licet ut ipse etiam pontifex fateretur, qui reliquias venerantur, variis figmentis, occasione solius quæstus decipiantur.

Iure Canonico.

C

a c. 61177

a c. cum ex eo X de reliquijs. Sacra litera nos docent, reliquias
neg, vendi neg, superstitiosè coli oportere: & magis pium esse credimus,
eas ut pignora terra, eidem etiam mandari.

LXII.

Eodem iure, & præbendæ, annatæ, sacramenta,
consecrationes, ordinationes, impositiones manuum, ha-
bitus religiosus, & alia officia & beneficia Ecclesiastica
vendi, & pretio tribui prohibentur b. Sed hæc criminib
potius, & Simonia relinqui, quam venditionibus adnu-
merari debent.

b t. t. X de Simonia.

LXIII.

Non solum autem (ut & supra admonuimus) res cor-
porales singulæ, sed & incorporales, ut jura, actiones, no-
mina, & universitatis res, ut hereditas, emi vendiq; pos-
sunt, de quibus deinceps agendum. Primum autem de
nominibus & actionibus videamus.

LXIV.

De actione
vendita.

Et constat, Nomina sive debita, tam pura quam sub
condicione aut in diem a, actiones tam in rem quam in
personam b, ante litem contestatam c, nec dolo malo,
aut iudicii mutandi causa d, ignorante etiam & invito de-
bitore vendi posse e.

a l. 17. nomina D. de hered. vel act. b l. ult. C. d. t. c t. t. D.
& C. de litig. d t. t. D. & C. de alien. iud. e l. 3. C. de hered. vel act.

LXV.

Vna est huius nominum venditionis, & actionum ces-
sionis exceptio, in tutoribus aut curatoribus, quibus, et-
iam post administrationem, in pupillum aut minorem nul-
la potest vendi aut cedi actio.

Nov. 72. & ibidem Cuiac.

LXVI.

Quæritur hoc in loco, num cessione hac, dominium
rei debitæ ad emptorem transeat? Et dicendum non trans-
ire, sed emptorem, quasi in rem suam procuratorem fi-
eri, vel utilem ei actionem dari.

Nomi-

LXVII.

Nominibus & actione venditis, venditor quicquid vel compensatione, vel exactione fuerit consecutus, integrum emptori restituere tenetur: sicuti & omne ius, quod ex ea causa, tam adversus ipsum reum, quam adversus eius intercessores ei competit a. Actiones etiam in parentem suum b, & pignoris persecutionem cedere c,

a l. 23. venditor. D. h. t. b l. 14. D. eod. c l. 6. d. s

LXVIII.

Non tamen locupletem, sed debitorem duntaxat, eumque sine omni exceptione esse venditor prestare debet; extra quam si aliud convenerit a. Si vero certa summa debitorem dixerit, in eam summam venditor tenetur: sin incerta & nihil debeat, quanti interest emptoris.

l. 4. & l. seq. D. h. t.

LXIX.

Redemptis denique nominibus & actionibus hoc singulare est, ut nomina non in solidum, sed ad dati pretii quantitatem, & usuras redemptor exigere potest, ut optime constituit Imp. Anastasius a: Cuius exquisitissima constitutionem confirmavit Iustinianus b.

a l. 22. per diversas C. mandati b l. pen. ab Anastasio C. d. t.

Ratio: quia ha cessiones odiosae, quas & Quintil. lib. 13. cap. 7. non veretur piraticas pactiones nominare,

LXX.

Excipiuntur ibi ab Anastasio quatuor casus, quibus exactio in solidum est permessa. 1. Est inter coheredes, ex causa divisionis. 2. Ex causa solutionis. 3. Si quis rem alienam possidenti cedat ius aliquod, v g. feudum emphyteusim &c. tuendae huius possessionis causa. 4. Si heres suas actiones cedat legatariis, & fideicommissariis.

Ratio horum casuum videtur esse, quia in ijs non minus sed quasi par & aequivalens pretium, aut necessaria cessio intercedat.

LXXI.

Quaeritur hic, cum extra illos casus exceptos, Cessionarius vel emptor actionis, non plus consequatur, quam ipsemet dederit ad quem reliquum nominis pertineat? Et dicendum

C 2

credi-

id
us
a,
na
ca
ib
nu-
or-
no-
of-
de
sub
n in
lo,
de-
D.
act.
cef-
et-
nulo
ium
ans
n fi-
mi-

creditore actionis suæ in fraudem legis, partem vende-
dente, partem donante, reliquam apud debitorem re-
manere: Sin verò creditor omnis fraudis expers sit, ad
ipsum creditorem id pertinere.

arg. d. l. pen. ver. sed omne quod.

LXXII.

De heredi-
tate vendita

Reliqua nunc est rerum universitatis, id est heredi-
tatis venditio. Et imprimis cum quis hereditatem vendit,
esse debet hereditas, ut sit emptio *a*. Nam si hereditas
eius qui adhuc vivit, aut nullus est, venierit, nihil actum
esse videtur *b*: quoniam pacta de hereditate viventis ini-
ta, iure civili improbantur *c*.

*a l. 7. cum hereditatem b l. 1. D. h. t. de hered. vend. c lult.
C. de pact.*

LXXIII.

Vendi deinde potest omnis hereditas non tantum
prima, sed etiam secunda: & hæc vel directa, ut puta, pupilo
li (si hoc nominatim agatur, patris aliàs hereditati, non
accedit, quia alia & diversa hereditas videtur) & fideicom-
missaria seu precaria.

l. 2. §. 1. ver. illud quæri potest & l. 16. D. h. t.

LXXIV.

Hac etiam lege permittitur venditio, si qua sit here-
ditas esto tibi empti: si modo qua spes sit hereditatis, & igno-
ret venditor ad se non pertinere: ipsum enim incertum rei
venit hoc casu, ut in rebus, ait Vlpianus.

l. 11. nam hoc & l. 12. h. t.

LXXV.

Iam si sit hereditas, & hoc pacto veneat, *Quicquid
iuris habeat venditor*, liberatur, si ad eum hereditas non per-
tineat. Eo autem pacto non adiecto, venditor se heredem
esse præstare debet. Quanta autem sit hereditas, nihil in-
terest, nisi de substantia eius adfirmaverit.

l. 13. quod si l. 14. in fin. & l. seq. D. h. t.

LXXVI.

Si nulla omnino hereditas ad venditorem pertinuit,
quantum emptori præstare debeat, ita distingui oportet:
vel

vel est aliqua hereditas sed ad venditorem non pertinet, & hoc casu ipsa æstimatur: vel nulla est de qua actum constat tunc pretium & quod eius interest, emptor consequetur.

l. 8. quod si & l. seq. D. h. t.

LXXVII.

In hereditate vendita, nisi aliter convenit, hoc agi videtur, ut non tantum quod ad ipsum venditorem, sed etiam quod ad heredem eius, ex hereditate iam pervenit, vel dolo aut culpa eius non pervenit emptori restituatur.

d. l. 2. §. 3. per veniss. ver. non tantum h. t.

LXXVIII.

Quærenti, quidnam ad heredem pervenisse videatur respondet Ictus id quod cum effectu ad ipsum pervenit. Idecirco quod legatorum aut æris alieni nomine venditor præstitit, aut solvit, non videtur ad eum pervenisse.

d. §. 3. perveniss. vers. illud.

LXXIX.

Solet quæri hoc in loco, an & si quid lucri, occasione hereditatis venditor senserit, emptori restituere id debeat? Et magis est, ut ea quæ non ex hereditate: sed propter hereditatem percipiuntur, venditor nequaquam præstet. *d. l. 2. §. solet quæri D. h. t. & arg. l. 20. item veniunt §. 3. cum prædiximus de hered. petit. Cuiac. 2. obs. 30.*

LXXX.

Tandem licet omne lucrum ac damnum à morte testatoris obveniens ad heredem pertineat a, & emptor cessis actionibus, eodem iure utatur, quo heres, cuius personam sustinet, usus esset b, tamen cum heres creditorum & legatariorum ius, contrahendo immutare non possit c, neque heres esse desinat d, venditor actiones suscipiet: licet specialiter inter ipsum & emptorem convenerit, ut emptor creditoribus & legatariis teneatur e.

a d. l. 2. §. 8. sicuti. b l. 5. emptor C. h. t. c l. 25. debitorum & l. seq. C. de pactu. d §. restituta l. de fideicom. hered. e l. 2. C. h. t.

LXXXI.

Excipitur hic fiscus, qui vendendo hereditatem, æs alienum ad emptorem transmittit. *l. 1. C. h. t.*

C 3

Vendi-



LXX XII.

Venditor hereditate vendita res hereditarias tradere debet, quas tamē si ob pretium totum, aut partem eius non solutam, tradere non vult, pignoris nomine eas tenere potest. l. 22. hereditatis D. h. t.

LXX XIII.

Quæri hic solet, an hereditatem duob. vendere possit heres? Et verius est posse, eamq; tradendo alteri, eius dominium in accipientem quidem transferre; ex empto tamen conventus à priori, quanti eius interest, præstabit. l. 6. qui tibi C. de hered. vendit.

LXX XIV.

Emptori deniq; venditor ob evictionem non tenetur: ut nec emptor heredi, qui propter rem hereditatis alii priori venditam condemnatur: quia non ideo quod heres esset, sed quod vendiderit condemnatus est. l. 2. in p. & §. deniq; D. h. t.

LXX XV.

De consensu.

Atq; hæc de pretio, personis & rebus. Adhæc & consensum adesse oportet, eumq; liberum. Nemo enim exceptis certis casibus, invitus aut emere aut vendere debet. l. 11. invitum C. l. 71. Imp. D. de contrah. empt.

LXX XVI.

In casibus autem istis exceptis, non numerandum ius negotiorum, hodie licet moribus receptum: Legibus siquidem prohibitum ut libertati commerciorum maximè contrarium. l. dudum C. de contrah. empt. l. 3. C. de commun. rerum alien.

LXX XVII.

Consensus hic omnem excludit errorem a. Vnde si in corpore, aut materia b, aut sexu c erratum sit, nulla emptio, nulla venditio est: si in nomine dissentiant d, de corpore tamen constet, nulla dubitatio est, quin valeat emptio.

a l. 9. D. de contrah. empt. l. 15. D. de iurisdic. b d. l. 9. §. nam cum & §. ult. c l. 1. D. d. t. d d. l. 9. §. si in nomine.

In

LXXVIII.

In materia tamen argute distinguere videntur. ICtus
 Ut si in totum alia sit materia, quam quæ veneat, vel (ut
 ICtus ait) si totum aliud pro alio (v. g. embamma a, pro
 vino, vel mensa anro cooperta pro solida veneat) emptio
 tum non valeat b: si verò eadem propè sit *veria* (v. g. si
 vinum quod acuerit iam, pro aceto, si aurum deterius
 quam emptor putaverit, si as inauratum pro auro veneat)
 emptio valeat c.

a id est τὸ ὄζος σκευασθὲν acetum factitium Cuiac. 2. obs. 4. b
 d. l. 9. §. ceterum l. 41. §. mensam D. h. t. c d. l. 9. §. ego in auro cum
 l. seq. & l. 14. D. h. t.

LXXXIX.

Ad consensum non incommodè referri posse viden-
 tur & pacta emptioni multa ac varia adici solita: quorum
 quædam valent: Ut si res displicuerit, si inempta a; si di-
 strahat emptor, non alii, quam sibi vendat &c. c quæ-
 dam non valent, ut ne dominium in emptorem transeat
 &c. c Eorum autem quæ valent, duo sunt hodie frequen-
 tiora, in diem addictio, & lex commissoria. His adnumerari
 potest & illud, olim in mancipiis vendendis usitatum, de-
 servis vel exportandis, vel non prostituendis, vel manu-
 mittendis &c. d

De pactis.

a l. 3. D. h. t. de contrah. empt. b l. 75. D. eod. c l. 80. §.
 ult. D. d. t. d t. t. D. de serv. export. & t. C. si servus export. cum duo-
 bus seqq.

XC.

Addicere verò teste Festo, est idem dicere, & pro-
 priè prætori convenit, qui exequendo sententiam, ean-
 dem quasi denuò dicit. Deinde idem verbum ad aucti-
 ones publicas tralatum est, ubi non statim emptio perfici-
 tur: sed post triginta demum dies, plus licitanti, res ad-
 dicitur a. Tandem & in privatis venditionibus, eius u-
 sus est receptus, ubi pacto futuris etiam licitatoribus, su-
 um & certum servatur tempus, quo meliorem condicio-
 nem offerre possint b.

De in diem
 additione.

a l. 4. & t. t. C. de fide & iure hasta lib. 10. b VVesenb. in pai-
 rat. D. h. t. nu. 1. Connan. lib. 1. cap. 7. nu. 5. In di.

XC I.

In diem autem addictio ita fit: ille fundus esto tibi emptus C. nisi si quis intra Cal. Ianuar. proximas meliorem condicionem fecerit, quo res a domino abeat.

l. 1. D. b. t. de in diem addit.

XC II.

Hic oritur quæstio, quoties fundus in diem addicitur, utrum pura emptio sit, quæ sub condicione resolvatur, an verò condicionalis? Et nobis elegans Vlpiani responsum probatur, interesse nimirum, quid actum sit: qui & quæstionem hanc pulchra distinctione decidit.

l. 2. D. b. t.

XC III.

Vbi igitur secundum Vlpiani distinctionem, pura est venditio, is cui res in diem addicitur, eam ulucapere potest, fructus atq; accessiones lucratur: periculum eius rei ad ipsum spectat, & pignori eam rem dare potest, quia medio tempore dominus est.

d. l. 2. §. ult. l. 4. §. 2. sed & Marcellus & §. 3. h. t. l. 11. is qui §. 8. si fundus D. quod vi aut clam.

XC IV.

Quod autem dicitur fructus interim perceptos emptorem priorem lucrari, totiens verum est, quotiens nullus emptor alius exiit, qui meliorem condicione adferat. Si verò alius exiit, qui plus licitatus sit, etiam si postea prior emptor adversus eum licitatus fuerit ita ut res penes ipsum remanserit, tamen fructus nihilominus venditori restituet. Impensa autem necessario erogatas, ex iis retinere potest.

a l. 6. D. b. t. b d. l. 6. §. 1. c l. 16. Imperator. h. t.

XC V.

Quæri hoc in loco solet, quæ nam sit, & quando dicatur melior condicio adferri? Respondet Ictus, non modo tunc dicendam condicionem meliorem, si pretio priori sit additum, sed etiam, si vel tantidem pretii solutio offeratur facilior: vel locus oportunior solvendo pretio dicatur: vel persona idoneior accedat ad emptionem: vel levioribus

levioribus emat condicionibus: vel deniq; satisfationem nullam exigat. Idem est, si remittat quæ venditori in priori venditione gravia erant, licet viliori pretio rem emat.

d. l. 4. §. melior. D. h. t.

XCVI.

Breviter, quicquid ad utilitatem venditoris pertinet, pro meliori condicione haberi debet *a*. Planè si tantundem pretium alius det, hoc ipso, quod fructus eum non sequantur, qui secuturi essent priorem emptorem, non ideo melior condicio videtur allata *b*.

a l. 5. quicquid D. h. t. b l. 14. si venditor §. ult. D. eod.

XCVII.

Meliore condicione allata, necesse habebit venditor priorem emptorem certiozem facere, ut si quid aliud adjicit, ipse quoq; adjicere possit. Licebit tamen venditori meliorem conditionem oblatam abijcere, & primam quasi meliorem sequi.

l. 8. l. 9. & l. 14. ver. sed si D. de in diem.

XCVIII.

Vnde si tres focii communem rem, uno pretio vendiderint, & duo posteriori emptori rem addixerint, tertius verò non admiserit adiectionem, tota res priori emptæ manet. Sin autem quicq; suas res, etiam dispares, variis pretiis distraxerint: hoc casu, duorum partes posteriori, pars tertii priori emptæ erit.

l. 11. §. ult. cum duobus ll. seqq. d. t.

XCIX.

Falsus emptor si subiectus sit, priori res emptæ est: quia non existente vero emptore, non videtur melior condicio allata *a*, & venditor qui simulavit meliorem conditionem, cum minoris, vel tantidem alii venderet, utriq; emptori in solidum erit obligatus *b*.

a l. 4. §. 4. v. sed si falsus. b l. 14. in p. D. h. t.

C.

Sin autem emptor alium non idoneum subiecit, eiq; fundus addictus fuit, venditor deceptus, ex venditione

D

tionem



tionem habet adversus priorem emptorem, quanti sua
interfit, id non esse factum.

d. l. 14. ver. sed si emptor.

Ci.

Emptor deniq. qui meliorem condicionem attulit,
præter corpus quod venit, nihil consequitur *a*. Plane si
fundo in diem addicto, postea pretium adiectum est, &
venditor alio fundo adplicito, eum ipsum fundum poste-
riori addicat, sine dolo malo, prioris emptoris causa ab-
soluta, posterior adplicitum quoq. fundum habebit *b*.

a d. l. 14. §. 1. ver. emptorem. & th. 97. b l. penult. D. h. t.

CII.

De lege

commisoria

commisoria

commisoria

commisoria

commisoria

Sequitur alterum pactum, sive lex commissoria in pi-
gnore quidem prohibita, in emptione verò frequens &
licita *a*. Ea autem talis est, ut nisi intra certum diem pre-
tium solutum sit, res inempta fiat *b*: quo casu magis est,
ut sub condicione solvi emptio, quam contrahi sub con-
dicione videatur *c*.

*a l. 3. C. de pact. pign. l. 1. & 1. 1. D. de leg. commiss. b l. 4. D.
h. t. l. 6. §. 1. de contrah. empt. l. 1. 3. & 7. C. de pact. inter empt. c l.
v. D. h. t. l. 2. §. Sabinus D. pro empt.*

CIII.

Committitur autem hæc lex, si emptor licet non in-
terpellatus *a*, sua die pretium non obtulerit. Offerre e-
nim debet pretium (ait Marcellus) qui se legis commis-
soriae potestate vult solvere *b*. Sanè si non habeat, cui
die statuto offerat emptor, & restatus sit, se pecuniam o-
mnem paratum esse solvere, eamq. signatorum signis ob-
signaverit, securus erit *c*.

*a l. magnam C. de contrah. stipul. b l. 4. §. 2. Marcellus. c l.
ult. D. h. t.*

CIV.

Porrò legem commissoriam venditor, cuius causa
in venditionibus ea adijci censetur, si volet ipse non etiam
invitus exercebit. Statim igitur, atq. commissoria lex est,
statuere debet, utrum commissoriam exercere, an po-
tius pretium petere velit: nec potest, si commissoriam
elegit, postea variare & pretium petere, ut nec rei vindica-
tionem

rationem eligere, si legem non exercuisset. Pretium etenim petendo legi renunciasse videtur:

l. 2. §. 3. l. 4. §. eleganter l. 6. D. h. t. l. 4. C. de pact. inter emp. & l. 7. D. h. t.

C V.

Si deniq; lege commissa, fundus inemptus fieret, quærebatur olim, quænam venditori in emptorem de fructibus restituendis actio competere: Et tandem (ut ait Vlp.) decisa quæstio est, ex vendito actionem competere: quia nihil ex re, in qua fidem fefellit emptor penes eum reside-re oportet *a*. Sed si partem pretii numeravit emptor, eius usufructum nomine, fructus lucrabitur *b*.

a l. 5. in f. D. h. t. b l. 4. ver. sed quod Neratius eod.

C VI.

Pacta deniq; venditionib. Mancipiorum olim varia, plerunq; tamen hæc adici solebant. Primum, *Ut servus exportetur sub manus iniectione*: quo casu ni pactis stabatur licebat venditori iniecta manu, Mancipium suum tanquam vindicare, & cessantis venditoris vice, fiscus fungi poterat. *l. 1. 2. & 3. C. si servus export.*

De pactis
vendendo-
rum Mancipiorum.

C VII.

Observandum hoc in loco, servum, qui exportandus venit, ex Italia, in Provincia morari posse *a*: licet exportandus de civitate sua, nec Romæ, & de provincia certa, nec in Italia morari possit *b*. Si tamen servus a domino aufugerit, & contra legem vel Romæ, vel in Italia moratus fuerit, nihil contra legem factum videtur.

a l. 2. D. de servis export. b l. ult. C. si servus export.

C VIII.

Etiamsolius vindictæ ratione, si nihil inter sit venditoris, vix est, ut eo nomine venditor agere possit *a*. Eiusmodi tamen legem venditor pro libitu remittere potest *b*.

a l. 7. servus ea lege D. h. t. Huic legi 7. quibusdam repugnare videtur l. 6. si venditor §. ult. D. eod. eamq; antonomiam inexplicabilem, Tribunitiam socordia hodieq; relictam Cuiac. & Hotom. putant. Sed videndum ne earum D. Giphanti conciliatio sit verior. In lege nint.

D 2

II. Ne

rum 7. ob solius vindicta rationem Papin. venditori actionem denegare: in lege autem 6. §. ult. actionem venditori concedere: si eius, vel ob pœnam alii promissam, vel etiam (ut ex Sabino postea didicerat Papinianus) ob rem, minoris, hac lege venditam interfit. b l. 1. D. h. t. de serv. export.

CIX.

II. Ne ancilla aut mancipium prostituatur: & si contra factum fuerit manus iniectio in eam domino competat, aut ancilla libera fiat. Quo casu si prostituta fuerit, libertas manus iniectioe potior est a, cum & aliàs nulla libertatis facta mentione, domino cessante manus iniicere, mulieri, contra legem prostituta, libertas competere dicatur b.

a l. 9. Titius §. ult. quod si D. h. t. l. 2. C. si mancip. ita venier. b l. 1. C. d. t. si mancip.

CX.

Solent & contrahentes ita sæpius pacisci, ut mancipium sub certa pœna, vel statum a, vel intra certum tempus b manumittatur, vel etiam omnino non manumittatur c. Prioribus duobus casibus valet stipulatio, si venditor non fuerit minor d, & emptor non manumittens tenetur ad pœnam e. Posteriore si manumittantur servi, liberi quidem non fiunt, sed manumissor tamen extra pœnam est.

a l. 2. l. ult. C. si mancip. ita fuerit. b l. 3. & 8. D. de servis. export. l. 1. 3. & 4. C. d. t. c l. 5. C. eod. l. 6. D. d. t. d l. 4. si minor D. h. t. e l. 6. D. & l. 5. C. b. t.

CXI.

De pacto
revendendi.

Sunt & quædam alia pacta in usu: Ut non soluto sua die pretio, eius usuras præstet emptor a: Ut ne liceat emptori locum humano iuri, aut commercio eximere b; Ut pactum re venditionis quod vocant, si venditor eiusve heres, quandoq; vel intra certum tempus emptori pretium offerant, res restituatur &c. c, quæ omnia iure nostro comprobari, & contractui legem dare solent d.

a l. 5. initio. C. de pact. inter empte. b l. ult. C. d. t. c l. 2 si parentes C. eod. d l. 23. contractus de R. I.

Quæ-

CXII.

Quæritur de hoc pacto revenditionis, utrum ex eo personalis an rem actio nascatur? Et personalem ex ea dari non dubitamus.

CXIII.

Deinde quæritur, an traditione cum pacto revenditionis facta, dominium rei transeat? Et transire dicimus.

CXIV.

Tertio quæritur, an hoc pacto vendens, ius suum alteri cedere possit? & verius videtur posse.

Schneidevv. de act.

CXV.

Quæritur deniq: an huic pacto ullo tempore præscribatur? Et non præscribi posse certum est.

CXVI.

Haftenus de emptione contrahenda. Sequitur nunc ut de emptionis iam contractæ iure & effectu, qui partim in vacuæ possessionis traditione, partim in obligatione & actionibus cernitur, admoneamus.

De iure & effectu emptionis contractæ

CXVII.

Sed de 'vacuæ' quidem possessionis traditione, ac de habere licere, præstatione, tractatio, partim ad evictionum materiam, partim ad actiones empti & venditi pertinet: quæ quia singulares disputationes ob sui ubertatem postulent: saltem de obligationibus sive præstationibus mutuis, deq; periculo & commodo rei venditæ hic explicabimus.

CXVIII.

Quæritur autem hic uter prius contractum implere debeat? Et nos libenter Cuiacio astipulamur, adferenti eius fore contractum implere, qui prior agit. 23. obs. 15.

CXIX.

Pertinet huc & altera illa quæstio vulgaris, an venditor rem emptori tradere præcisè teneatur? Et ipsum omninò teneri rem præstare, aut tradere, si modo rei facultatem habeat, dicimus. *Giphart. in disput. de act. empt. thesi 25.*

et seqq.

D. 3.

Post



De periculo
& commo-
do.

CXX.

Post perfectam igitur emptionem, etiam ante tradi-
tionem omne commodum & periculum rei ad emptorem
pertinet a. nisi contrahentibus initio aliud placuerit b.
Perfecta autem censetur emptio, pura, sola pretii (ut di-
ctum supra) conventionem c: instrumento demum con-
fecto, si in scriptis celebrata sit d.

a l. 1. C. de peric. & comm. b arg. l. 10. D. b. t. c th. 30.
d init. 1. 1. de empt. & th. 31.

CXXI.

Quæritur hic de emptione condicionali, cuius nam
pendente condicione, sit emptæ rei periculum & com-
modum? Et nobis Pauli & distinctio & decisio perplacet.

l. 8. necessaria §. quod si sub condicione D. b. t.

CXXII.

II. Quæritur re vendita furto sublata cui actiones fur-
ti competant? Et venditori eas competere certum est.

CXXIII.

Emptori ergo venditor, unâ cum re, & fructus, fe-
tus, partus, item quod ex servorum operis, aut vecturis
jumentorum ad eum pervenerit, præstare debet. Con-
tra emptor, moram in pretio solvendo faciens, usuras præ-
tium exolvere cogitur.

l. 13. Iulianus §. 8. si fructibus & §. 11. item si quid de act.
empt. l. 13 fructus C. eod. l. ult. D. de peric. & com.

CXXIV.

Item si quid post emptionem fundo accessit, per al-
luvionem, vel perit, ad emptoris commodum incom-
modumque pertinet. Etiam si totus ager flumine occu-
patus esset, periculum emptoris foret.

l. 7. id quod D. b. t.

CXXV.

Si aquæ ductus, aut alia servitus debeat prædio: &
iam ius aquæ transit ad emptorem, tamen nihil dictum
sit. Et contra si fundus serviat, talis emptori tradetur, nec
aget ex empto ea de causa contra venditorem, nisi eum
vendiderit liberum: l. 47. si aquæ ductus cum 2. l. seqq. & l. D.
de contrah. empt.

Si

CXXVI.

Si vinum non ad mensuram venditum acuerit: vel quid aliud vitii sustinuerit, emptoris erit damnum, si non aliter convenerit. Sed si venditor se periculo subiecit, in tempus conventum, periculum venditoris erit. Sin tempus nullum designavit, periculum ad degustationem usq; sustinebit.

l. 1. in p. & §. 1. sed si venditor D. h. t.

CXXVII.

Sin veró non sunt degustata, signata tamen ab emptore vasa vel dolia, adhuc periculum est venditoris. Magis enim ne summutetur vinum signari solet, quam ut tradivideatur. *d. l. 1. ver. sed si non sunt & §. si dolium.*

CXXVIII.

Sed & si ad mensuram vinum venijt, hoc est, si convenit, ut singulæ amphoræ vini, certo pretio sint venditæ, antequam tradantur, perfecta non videtur emptio, & periculum vini mutati non emptoris erit, sed venditoris. *a.* Priusquam enim admetiatur vinum, pro eo ferè est, quasi nondum venierit *b.* Et venditor hoc casu, ad diem mensuræ custodiam præstat *c.*

a l. 2. C. h. l. b d. l. 1. §. priusquam D. h. t. c d. l. 1. ver. sed & custodiam.

CXXIX.

Et si diem venditor ad vinum metiendum præstituit, nec intra diem ad mensum sit, ei vinum effundere licet, Prius tamen denunciât venditor emptori ut aut vinum tollat, aut sciat futurum ut effunderetur. Laudandus est quidem venditor, qui non effudit, cum effundere potuisset. *d. l. 1. ver. licet autem.*

CXXX.

Mercedem quoq; doliorum venditor exigere potest, si eius interfuit inania esse vasa, in quibus vinum fuit. Et si conduxerit ab alio vasa venditor (quod commodius fieri ait Vlpianus) emptor mercedem restituet. *d. l. 1. §. ea propter & v. commodius.*

CXXXI.

Si doliare vinum emeris, nec de tradendo eo quisquam conveni-

convenerit, id videtur factum ut ante evacuarentur vasa
quam ad vindemiam opera eorum futura sit necessaria. Si
verò non evacuata fuerint, faciendum, quod veteres pu-
taverunt: per corbem scilicet: mensuram, ut quanta sit appa-
reat, facere & effundere.

d.l. 1. §. si doliare.

CXXXII.

Hoc ita verum, si is sit venditor, cui sine nova vin-
demia ista vasa non sint necessaria. Sin mercator est, qui e-
mere vina & vendere solet, is dies spectatur, quo ex com-
modo venditoris tolli possunt. *l. 2. D. h. t.*

CXXXIII.

Dies denique in talibus venditionibus mensurae aut
degustationi praefinitus, non venditoris, sed emptoris
condicionem meliorem facit. *l. 4. §. dies h. t.*

CXXXIV.

De custodia

Custodiam sane venditor praestare, & eam diligentiam
debet, quam homines frugi adhibere solent, ut me-
ritò fatale damnum, & vis maior sit excusata: extra quam
si moram fecerit, aut aliud convenit, tunc enim non cul-
pam sed dolum duntaxat praestat venditor.

l. 2. in fin. & l. seq. l. 10. §. l. l. 17. D. h. t.

CXXXV.

Vnde si insula vendita combusta sit, licet incendium
sine culpa fieri non possit, tamen si venditor eam diligen-
tiam adhibuit, quam homines diligentes praestare solent,
& incendium praeterea acciderit, nihil ad eum pertinebit.

l. 11. si vendita D. h. t.

CXXXVI.

Quaeritur hic, si lectos emptos Aedilis, cum in via
publica essent positi, conscidit, neque per emptorem stetit
quo minus ei traderentur, cuius periculum sit, empto-
ris ne, an venditoris? Et respondet Paulus, venditoris id
esse. *l. 12. & l. 14. quod si D. h. t.*

CXXXVII.

Mora verò, ut emptori, ita & venditori nocet. Et si
uterque moram fecerit, aequum est, ut posterior mora da-
mnosa sit facienti. *l. 17. illud D. h. t.*

In

CXXXVIII.

In hoc deniq; bonæ fidei iudicio, omnis dolus abesse debet. Vnde si post inspectum prædium, antequam emptio perficeretur, arbores vi ventorum deiectæ sint, & venditor sciens id emptorem celaverit, quanti eius interfuerit, emptori venditor præstabit.

l. 9. si post. D. h. t.

CXXXIX.

Immò in vendenda re aut fundo, quædam etiam si non dicantur præstanda sunt; quædam ita demum si dicta sunt.

l. 66. in vendendo D. de contrah. empt. Sed de eiusmodi præstationibus commodius ad tit. de adilit. edict. admoneri solet.

CXL.

Cognito nunc iure emptionis & venditionis contractæ, quantum instituti nostri ratio patitur: Reliquum est, ut & de rescindenda ipsa breviter videamus. De rescindenda emptione.

CXLI.

Initio autem admonendum, Reipublicæ etiam interesse, actus legitimè & ritè semel perfectos, non temere rescindi. Eapropter unius pœnitentiâ, licet in continenti expressa, ab emptione perfecta abiri non potest, nec etiam si pœnitens duplum præstare voluerit.

l. 2. si donationis l. 1 2. non idcirco C. de contrah. empt. l. 1. §. nam quod D. de rescind. vend. l. 6. non est. C. eod.

CXLII.

Quæsitum fuit, si miles sit, quem emptionis pœniteat, an eius in gratiam emptio rescindatur? Et rescripserunt Imp. hac de causa minimè rescindi emptionem. Immò ne rescripto quidem principis, à perfecta emptione recedi bonam fidem suadere.

l. 3. de contractu & l. 6. ratas C. de rescind. vend.

CLXIII.

In iure tamen nostro, quædam reperiuntur causæ, propter quas emptio semel perfecta rescindi potest. Nam primum ob dolum alterius emptio rescindi solet. Dolus tamen hoc in contractu qualitate facti, non quantitate pretii

E

afa
. Si
ou-
za-

in-
i. c-
m-

ue
ris

ti-
ne-
am
ul-

um
en-
nt,
dit.

via
tit
to-
id

t si
da-
In



pretii aestimandus venit. Ad dolum quoque pertinet contractus furtim aut clam in fraudem Reip. factus.

l. 5. si dolo l. 8. si voluntate l. 10. dolum l. pen. C. b. r.

CXLIV.

Secunda causa est, vis & metus. Venditionem enim, ut & omnes alios actus, ob metum factam, praetor ratam habere non solet.

l. 1. D. quod vi metusve l. 1. & 8. C. b. r.

CXLV.

Tertio mutuo consensu ut contrahitur, ita & re adhuc integra, mutuo dissensu emptio infecta fieri potest. Adeo ut & acceptum ferendo ab emptione discedatur.

a l. quibus mod. toll. obl. l. 2. si quam l. 3. emptio. l. 1. & 2. quand. lic. ab empt. b l. 1. cum emptor D. b. r.

CXLVI.

Quarta causa est pactum: ut si lege dicta pretium ad diem non solvisset emptor, res inempta fiat, hoc casu lege commissa emptio, resolvitur.

l. ult. D. h. s. thes. 103. & seqq.

CXLVII.

Et licet naturali contrahentium voto emptor viliori pretio comparare, venditor cariore distrahere cupiat, atque sic concessum sit, contrahentibus in pretio emptionis se circumvenire, nec ob maius minusve pretium emptio resolvatur: tamen ob laesionem nimiam Imperatores emptioem rescindi permiserunt.

a l. 8. si voluntate ver. quod si C. h. r. b l. 16. in causa. §. idem Pomp. D. de minor. l. 22. Item si §. ult. D. locati. c l. 4. & d. l. 8. C. h. r.

CXLVIII.

Postrema igitur, eaque celeberrima emptionis rescindendae causa, est laesio, non quaevis, sed nimia, Nimiam accipiunt Imperatores, quae sit ultra dimidium iusti & veri pretii. *l. 2. rem maioris C. de rescind. vendit.*

CXLIX.

Ceterum an iustum pretium, a vero differat, quaestio est? Et sane verum pretium, a quodam magnae auctoritatis Iuriconsulto definitur, quanti res ipsa valet, iustum

194.
iustum verò saltem eius pars, dimidia in hac legē. Quod an
iuri & rationi sit consentaneum videndum.

CL.

Læsus tamen ultra dimidium non idcirco statim &
simpliciter contractam emptionem rescindere potest: sed
adversæ parti electionem permittere debet, utrum id
quod iusto pretio deest supplere, an emptionem rescindi
malit. *d.l. 2. C. h. t.*

CLI.

Huic ob læsionem rescindendæ venditionis causæ, &
ista videtur adnectenda: si procurator fisci, rem debitoris
non solventis, per gratiam viliori pretio emptori addixe-
rit: hoc enim casu debitori postea integrum debitum per-
solventi, res sua restituetur.

l. 9. fundus D. l. 16. si quos C. h. t. & l. 3. C. de iure fisci lib. 10.

P A R E R G A.

I.

Remedium legis 2. C. de rescind. vendit. esse
novum, constitutione Diocletiani demum introdu-
ductum, Iurisconsultis incognitum.

II.

Eam legem stricto quidem jure in venditore
tantum, benignè tamen & in emptore recipiendam
videri.

III.

An quadrimembris illa peculii in scholis usita-
ta divisio vera & juri consentanea?

F I N I S.



Jura, Diss., 1573-1600

ULB Halle 3
003 609 308



S
Sb.







1594/1
4
5
24
14

DISPUTATIO
DE EMPTIO-
NE ET VENDITIONE
CONTRAHENDA, EIVS
 IAM CONTRACTAE IVRE ET
 tandem rescissione, in theses cer-
 tas cojecta.
 QVAS
 AVSPICE REDEMPTORE
 CHRISTO
 SVB PRAESIDIO
 NOBILISSIMI ET CLARISSIMI
 Iurisperiti Domini
NICOLAI REVSNERI
 ANTECESSORIS, ET IVRIDICAE
 FACVLTATIS IN ACADEMIA IE-
 NENSI, SENIORIS celeberrimi Illu-
 striss. Ducum Saxoniae Consiliarij
 amplissimi
 In Acriasi Iurisperiti. XVII. Cal. April. publi-
 cè defendendas provirili suscipiet
CHRISTOPHORVS RICHTERVS
 ALIENBVRGENSIS.
 IENAE
 Typis TOBIAE STEINMANNE
 Anno cl^o Id^o XCIV.

*Ornatiss. atq. r.
 zimo Andrae
 vero Johano
 charissimo
 meo cui
 Radem.*

